



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 78. Duo Consiliarii Clerici ad exigendam hanc subscriptionem a
Parisiensibus Vicariis Generalibus subrogati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

„dei professionem, ac declarationem
 „die nona Junii Anno Salvatoris nostri
 „millesimo quingentesimo sexagesimo
 „secundo subscripsimus., Altera die
 pariter, ut vocant, Bidelli, Forenses
 Scribæ, Advocati, & Senatus Pari-
 siensis Procuratores pari tenore sub-
 scribere jubebantur.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1562.

§. LXXVIII.

*Duo Consilarii Clerici ad exigendam
 hanc subscriptionem a Parisien-
 sibus Vicariis Generalibus
 subrogati.*

Eadem die nona Junii congregatis Cu-
 riis Regii Ministri obtulerunt lite-
 ras, quibus Vicarii Generales Pari-
 siensis Episcopi quosdam subrogandi
 potestatem postulabant, ne in præfata
 curia ejusmodi professionis normam sequi
 tenerentur, sed sui ipsorum loco Nicolaum
 Prevostum Inquisitionum Curie Præsi-
 dem, & Jacobum Verium Consiliarium
 Ecclesie Parisiensis Canonicos, & in
 Senatu Parisiensi Regis Consiliarios sub-
 rogare possent, eo fine, ut ipsi nomine
 Episcopi, qui Tridenti erat, ab omni-
 bus Præsidibus, libellorum supplicum
 Magistris, Consiliariis, aliisque hoc
 juramentum excipere valerent. Porro
 hæc subrogatio his verbis erat con-
 cepta.

„Jaco-

Sæcul. XVI.

A. C. 1562.

Arg. l. c.

„Jacobus Quetierus Officialis, &
 „Philippus Briaultus insignis Ecclesiæ
 „Parisiensis Canonici, Reverendi in Chri-
 „sto Patris, & Domini Domini Eustachii
 „du Bellay, Dei, & Sanctæ Sedis Apo-
 „stolicæ gratia Parisiensis Episcopi, a
 „suis civitate, & Diœcesi notorie absen-
 „tis, in spiritualibus & temporalibus,
 „cum clausula & potestate substituendi,
 „Generales Vicarii, nobilibus & egre-
 „giis viris Dominis, & Magistris Nicolao
 „Prevolto Inquisitionum Curix Præfidi,
 „& Jacobo Verio, dictæ Ecclesiæ Pa-
 „risiensis Canonici, & Domini nostri
 „Regis in Senatu Parisiensi Consiliariis
 „salutem in Domino. Quoniam his
 „omnibus, quæ nobis ratione dicti Vi-
 „cariatus incumbunt, certis rationibus
 „sufficere non possumus, maxime vero
 „in causis fidei, & Religionis Catholicæ
 „his temporibus adeo afflictæ, ut nisi
 „Domini nostri Jesu Christi verbis, &
 „promissione eam usque ad consumma-
 „tionem sæculi permanuram certum
 „haberemus, de eadem verosimiliter
 „conclamatum esset: idcirco vos, & ve-
 „strum quemlibet in solidum, de quo-
 „rum fidelitate & insigni probitate &
 „diligentia non immerito confidimus,
 „ejusdem Reverendi Patris Domini Pa-
 „risiensis Episcopi in hac parte Vicaria
 „in spiritualibus, & temporalibus pote-
 „state

Sæcul. XVI.
A. C. 162.

„state nobis in præmissis concessa sub-
 „stituimus, vosque deputamus, dan-
 „tes vobis, & vestrum cuilibet, & pro-
 „mittentes specialem & expressam pote-
 „statem a quibuscunque Præsidentibus,
 „Magistris libellorum supplicum, Con-
 „siliariis, Ministris Regiis, Scribis,
 „Notariis, ceterisque personis curiæ
 „Parlamenti, fidei Christianæ, & Ca-
 „tholicæ professionem, si illam emittere
 „volent, recipiendi, nec non omnia
 „& singula, quæ idem Episcopus, si
 „præsens adesset, aut nos loco ipsius
 „facere possemus, faciendi & exequendi,
 „promittentes omnia per vos, aut alte-
 „rum vestrum sic gerenda & exercenda,
 „& quæcunque circa præmissa feceritis,
 „eundem Reverendum Parisiensem Epi-
 „scopum, prout nobis suis literis Vica-
 „riatus concessit, & pollicitus est, & nos
 „ratum, & gratum habiturum, & habi-
 „turos, prout ratum & gratum ex nunc
 „habemus, in quorum omnium & sin-
 „gulorum fidem & testimonium præ-
 „missorum, Sigillum Cameræ ipsius
 „Reverendi Patris literis præsentibus
 „duximus apponendum. Datum, & actum
 „Parisiis anno millesimo quingentesimo
 „sexagesimo secundo, die septima Men-
 „sis Junii.

Postquam igitur hæc fidei professio
 subscripta, ac die nona & decima ejus-

Hist. Eccles. Tom. XLV. B b b dem

Sæcul. XVI.
A.C. 1562

dem Mensis fuerat recepta, primus Præses congregatos hortabatur, ut juxta eam non modo in sententiis ferendis in judicio, sed etiam ubique ac præcipue in suis ædibus procederent, memores illorum verborum, quæ D. Paulus capite I. in sua epistola ad Titum profert: *confitentur se nosse Deum, factis autem negant: cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi* & ad Timotheum: *si quis autem maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Postea Bidellis, & Forensibus Scribis præcepit, ut altera die adessent, clausisque januis suam fidei professionem emitterent. Eadem die Procurator generalis nomine Ægidius Burdinus sermonem oppido facundum pronuntiabat, Senatus Regii Zelum in tuenda vera fide deprædicans, pluribusque commendans, quod publicam fidei professionem exegerit, omnesque ad eam compulerit. Tandem ostendens, quod cuncta circa Religionem diffidia summopere Reipublicæ sint nociva, inter alia narrabat, quod Theodotus quondam ex Ascolio Thessalonicensi sciscitatus fuisset, quam ob causam Ecclesia Orientalis tot schismatum & dissensionum fluctibus agitaretur, cum tamen Ecclesia Occidentalis tranquilla pace floreret: ab eo autem fuisse responsum

Sæcul. XVI,
A.C. 1562.

sum narrabat, id non alia ex causa oriri, nisi quod Ecclesia occidentalis non nisi unicam fidem teneat, nullamque novam opinionem toleret, econtra autem in Oriente omnibus cujuscunque generis Novitatibus janua aperiatur. Insuper allegabat Martiani & Joviniani Imperatorum exempla, sermonemque ingerebat de Melodunensi conventu: denique omnes ad constantem hujus fidei professionem hortabatur.

§. LXXIX.

Universitatis consultationes circa diversa argumenta.

Cum publica civilis jurisprudentiæ Schola nondum fuisset erecta in Universitate Parisiensi, hinc Doctores Juris Canonici postulabant a Sacra Facultate, ut hæc quoque disciplina ibi traderetur. At obstitit Sacra Facultas, ne admitteretur eorum supplicatio, nisi consulta prius universitate, ad quam Pillaguertus die decima quinta Septembris supplex nomine Civitatis Parisiensis accessit: sed ea res rursus ad Facultatem remittebatur.

In alio Facultatis conventu die vigesima sexta Septembris conclusum fuit, quod Valentini Præsulis libri ad catalogum eorum librorum, qui perveriam continent doctrinam, rejicerentur,